

FACVLTATIS MEDICÆ DECANI

IO. HADRIANI SLEVOGTII

HERED. in Ober-Roßla/

M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P.P.

ITEMQVE MED. DVC. PROV.

INVITATIO

Ad Dissertationem

DE

CARIE OSSIVM

CVIVS OCCASIONE

VARIOLARVM HACTENVS IN CIVES NOSTROS GRASSANTIVM MALIGNITAS EX CARIE OSSIVM AB IIS EXCITATA PER EXEMPLA DEMONSTRATVR.

JENÆ d. V NOVEMBRIS MDCCXIII.

LITERIS KREBSIANIS.






DECANVS FACVLTATIS MEDICÆ

IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS

M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. PP.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.



Ariolæ ſunt triſte malum, & tantum-non omnibus humanæ ſpeciei individuis reformidandum; cum, quod de *morte* Horatius effatur, æquo pede pauperum tabernas, regumque turres pulſent; nec adhuc per experientiam ſufficienter declaratum ſit, eos, perpetuam ſibi a communi hoc mortalium infortunio immunitatem pollicendam habere, quorum matres, tempore geſtationis, vitalium humorum maſſam a ſuperfluis impuritatibus, fomitem, ut ajunt, huic malo largientibus, per *catamenia* purgarunt, a quibus in aliis, ut vulgata ſententia Pathologorum fert, per novem menſes in corpore retentis, hujus morbi cauſa cuditur; quæ, pro ſingulari temperamentorum diverſitate, utplurimum equidem in prima ſtatim ætate, per vaſa omnia & viſcera ſe diffundens,

inusitatum orgasmon in iis fabricat, naturamque stimulat, ut, per modum despumationis, quicquid a contagio hoc infesto inquinatum est, per exilissimos arteriarum tubulos, & solidorum organorum poros, in horum superficiem protrudat. In quibusdam autem serius hoc venenum explicatur: quod in provectioris ætatis subjectis tunc eo periculosiores effectus gignit, quo refertior est eorum sangvis cruditatibus, ex continuis erroribus diætæ natis, a quibus concipiendæ fermentationi aptior est redditus: ut, computatione majoris numeri infantum, cum pauciori adultorum, variolis laborantium, horum multo plures, quam illorum fatis cedere cogantur.

Magnum insuper momentum ad genium, benignumque & malignum hujus criticæ excretionis morem, constitutio tempestatis confert; ut in nullo fere alio morbo tam multiplices varietates ortus &invasionis, durationis item & periculi, malorumque ipsum consequentium occurrant, quam in variolis annotari solent. Neque enim quotannis homines infestant, aut justas invasionis periodos, ratione veris, æstatis, vel autumni hyemisque amant; sed certas potius astrorum quasi constellationes observantes, minimum ab aëris peculiari qualitate, fermentans suum seminium explicare solent.

Vixerant nostrates per unum alterumque annum ab hac universalis luis specie securi, nec, cum superiori æstate fama huc veniret, in vicinis oppidis variolas vigere, & multis lethiferas evadere, statim magnus metus animos percellebat; quia, ex ineffabili Dei gratia, nobis adeo salubre clima obtigisse noveramus, ut ægritudines, aliarum civitatum incolas durissime habentes, apud nos longe tractabiliores sint. Sic quamvis, elapso seculo, pestis ex omnibus mundi angulis nobis interitum minaretur, &, occidentem versus, haud procul distans Erfurtum, hinc propius, vix sesquimilliare ad orientem jacens Camburgnm,& adhuc magis vicina septentrion. lis Apolda, tandemq; meridem spectans, aliquot tantum lapides a nobis disjunctus pagus Rutha, crudelitatem diri contagii sustinerent, nos tamen, cœlesti tutamine freti, salvi manebamus: etsi rumor haud inanis esset, ab avaro mercatore merces ex infe-

ctis locis huc transportari. Frequentiora istiusmodi mitis & salubris soli specimina toties aliæ morborum species, dysenteriæ, e. g. purpura puerperarum &c. edidere, quam ut illis recitandis immoremur: cum id nostro scopo prorsus adversetur, & in præsentia invitationem ad inauguralem Dissertationem de CARIE OSSIVM clarissimi summorum in arte nostra honorum Candidati,

IOANNIS GEORGII STVSSII

WILDEMANNO-HERCYNII.

scripturis, occasione hujus thematis, illætabilis memoria aliquot tenellorum subjectorum in mentem redeat, quibus variolæ, hactenus in nos manifesta malignitate grassantes, sanguinem ad nutritionem corporis ineptum reddiderunt, partesq; solidas duras pariter, ac molles profunde exulcerarunt.

Duo autem tantum extantiora specimina hac vice in medium adducemus, quorum sævitiam domare minime in artis potestate positum fuit: mitiora alio tempore recensuri.

Puellus lepidissimus, quinque annorum, laboraverat variolis absque gravibus symptomatibus, &, nondum crustis depositis, a parentibus libero aëri permittebatur. Sed nondum mensis effluxerat, cum eundem lectulum, quem major natu frater, cum eodem morbo graviter conflictatus, deseruerat, occupare teneretur, secunda vice variolosus factus. Omnia hic in pejus vertebantur. Nam post vehementes motus convulsivos, larga seges pustularum erumpebat, cum continuo fervore & inquietudine. Haud memorabimus defectum vocis, ab exulceratis faucibus inductum, aut vomitus & diarrhœam, quæ frequentem frigidumque potum sequebantur: cum istiusmodi symptomata etiam in aliis, ex eadem causa, non raro sine damno hactenus occurrerint: sed ea potius tangemus, quæ nostram pariter & Chirurgi curam postulabant. Cum enim dexter oculus trans pupillam, ut in serena gutta fit, per motus convulsivos latissime distractam, admissas species visibiles non amplius perciperet, sinistri conservationem parentes anxie petebant: sed hujus quoque cornea, a variolis exesa, dudum cum adnata in plicas rugabatur.

Præter hæc in dextro humero, & costis aliquot, profunda ulcera hærebant, & hactenus a latis primarum variolarum crustis tecta, per musculos ad ossa penetraverant; idque sine tali tristi sensu, qui adstantes ad remedia, in tempore quærenda, compulisset. Mutabatur quidem, per balsamica, fœtens ichor, paucorum dierum spatio, in pus laudabile; sed caries ossium nequibat coërceri, quo minus in horas latius diffunderetur: donec corpusculum, sceleti ariditatem referens, & rectoris sui ac motoris nutibus exsequendis impar, ab eo destitutum, fatis cederet.

Tristiorem faciem puella sexennis, civis suburbani filia, offerebat, quæ ex cura Medici hujus loci non incelebris, post variolas feliciter, ut videbatur, superatas dimissa, in bucca dextri lateris, prope nasum, vix visibile tuberculum retinuerat, quod, spatio sex hebdomadum, sensim auctum, tandem leviter dolere incipiebat: sed, tanquam ab odontalgia dependens, a parentibus negligebatur. Marcescebat interea temporis filia, quamvis belle quævis oblata comederet, tumebantque pedes oedematose. Cum tumor furunculi altitudinem acquisivisset, committebatur Chirurgo, artis suæ bene gnaro, qui, altero statim ab emolliente emplastro die, apostema in ulcus fœtidissimum mutatum videns, Medicum in consilium postulabat. Præteriebatur ille prior, (more plebis mutabili) nullius culpæ hoc loco arguendus, & currebatur ad me: forsan quia, ante aliquot annos, in eadem ægra sanationi ulceris capitis, in diversos, digitumque longos, sinus excavati, adstiteram. Obversabatur, primo statim intuitu, caro ad pollicis latitudinem consumpta, maxillæque, a gingiva nudæ, color niger cum fœtore. Sequente die æquabat ulceris oblongi transversa diameter duos pollices, apparebatq; rima in maxilla, magnam ejus portionem, cum canino dente, atque duobus maxillaribus, a reliqua substantia discernens. Die quarto extrahebatur hæc divulsa pars, sine ullo labore, aut notabili perceptione ægræ. Horribilis jam hiatus in cavitatem oris patebat; quem Chirurgus, quoties eum deligabat, ampliorem reddere cogebatur, forcipibus variis corrupta ossicula decerpens, & forfice margines ulceris sphacelatos rescindens, donec labio superiori

ad

ad columnam nasi absumto, oris rima atque ulceris termini unum foramen maximum constituerent.

Putamus ex allatis variolarum nondum extinctam malignitatem, qua multis familiis, per aliquot menses, simplici duplicique funere luctuosi evaserunt, satis innotescere, ut pluribus exemplis adducendis supersedere, potiusque ad vitæ studiorumque Candidati nostri historiam transire liceat.

Honestissimorum parentum satu ortus est, anno MDCLXXXVI d. 1 Maji, Wildemanni, urbe Hercyniæ, inter argentiferas Luneburgenses primaria. Genitor fuit Dn. Jo. Gebhardus Stussius, Prætor loci admodum spectabilis, mater autem reverendissimi Abbatis Cœnobii Clus, & Superintendentis ecclesiarum Gandersheimensium vigilantissimi, dudum inter cœlicolas recepti, filia, hodie Dn. Jo. Henrico Mehlisio, itidem Prætori civitatis merentissimo, per secunda vota in matrimonium data. Jactis religionis & bonarum literarum fundamentis, per aliquot annos Chirurgiæ, antiquissimæ Medicinæ parti, dedit operam, ejusque encheirises, per crebrum usum, sibi familiarissimas reddidit. Hinc ad artem internis quoque morbis medendi, animum serio appulit, eumque in finem, anno MDCCX Altdorfi, celebri musarũ sede, per integrum annum, ex lectionibus excellentissimorum Doctorum, Dn. Jo. Mauritii Hoffmanni, Dn. Jo. Jacobi Beyeri, & Dn. Königii funda menta artis hausit: quibus postmodum, anno MDCCXI ad nos, sub meo Pro-Rectoratu veniens, pleniorem ejus cognitionem superstruxit. Audivit enim ea, qua decuit, attentione consummatissimum Medicum, Dn. Georgium Wolffgangum Wedelium, Hered. in Svvarza, Med. D. & Theoriæ PP. famigeratissimum, Com. Palat. Cæs. Consiliarium & Archiatrum Ducalem Saxonicum longe meritissimum, pathologiam, chirurgiæ theoriam, & materiam medicam, una cum diætetica & pharmacia publice, privatimque morbos infimi ventris solidissime explicantem. Hinc magnificum h. t. Acad. Pro-Rectorem Dn. Jo. Adolphum Wedelium, Phil. & M. D. & Professorem ordinarium, Physicum item provinc. Vinariensem & Poliatrum Jenensem celeberrimum, in publica cathedra morbos externos & mulierum, cum medicamentis ex tartaro, & febrium natura; domi autem methodum

dum medendi & chymiam ſolide & perſpicue docentem. Ju-
junxit privatiſſimam Dn. D. Jo. Jacobi Fickii, Archiatri Duc. Vi-
narienſis, ad praxin & alias medicinæ partes manuductionem, &
ſub ejus præſidio maſcule de Lactis Saccharo diſputavit. No-
Scholas phyſicas curioſas atque medicas Dn. D. Hermanni
Friderici Teichmeieri, Archiatri Hatzfeldenſis, ſe ſum-
fructu ſingulari frequentaſſe gratus profitetur. Me in publico
theatro cadaver fœmininum diſſecantem, & praxin chirurgicam,
una cum notitia plantarum publice & privatim exhibere vidit
audivitque.

Hisce omnibus ita animum perfecit, ut languenti proximo in-
ſerviendi aptus haberetur. Quod ipſum ne ſine publico teſtimo-
nio fieret, doctorales honores ambivit. Admiſſus ad ſpecimina ita
ſe geſſit, ut inſtante die 10, præſentis menſis, B. Luthero ſacro, ſub
magnifici Wedelii, Patris, præſidio, cathedram conſcenſurus ſit,
nil magis in votis habens, quam ut per præſentiam magnifici Pro-
Rectoris, excellentiſſimorum Patrum Academiæ, nobiliſſimorum
Hoſpitum, & chariſſimorum Commilitonum, actus ipſe ſplendidiſ-
ſimus reddatur. Cujus honeſtiſſimi deſiderii, ut inclytus Candidatus
compos fiat, eſt quod, nomine Collegii gratioſi, officioſe, obnixe &
amanter peto. P. P. ſub ſigillo Facultatis, Jenæ, d. 5 Novembr.
Ao MDCC XIII.

